

homini armaria cedro atque ebore aptanti, corpora conquirenti aut ignotorum auctorum, aut improbatorum, et inter tot millia librorum oscitanti, cui voluminum suorum frontes maxime placent, titulique? Apud desidiosissimos ergo videbis, quidquid orationum historiarumque est, et tecto tenus exstructa loculamenta. Ignoscerem plane, si e studiorum nimia cupidine oriaretur: nunc ista exquisita, et cum imaginibus suis descripta sacrorum opera ingeniorum, in speciem et cultum parietum comparantur.

Indoctum, gloriantem bibliotheca, ridet Ausonius hoc epigrammate:

Emis quod libris tibi bibliotheca referta est,  
Doctum et Grammaticum te, Philomuse, putas?  
Hoc genere et chordas, et plectra, et barbita conde:  
Mercator hodie, cras citharoedus eris.

## CAPUT XVIII.

MEMORIA AUGETUR CURA, NEGLIGENTIA INTERCIDIT.

1. Omnis disciplina memoria constat, frustraque docemur, si quidquid audimus, praeterfluat. Quidam eam naturae modo munus esse extimaverunt; sed ipsa excolendo, sicut alia omnia, augetur. Nihil aeque vel augetur cura, vel negligentia intercidit, quam memoria.

Maxima et una memoriae augendae ars exercitatio est, et labor. Quare pueri, quorum tenacissima memoria est, statim quam plurima ediscant: et quaecunque aetas operam juvandae studio memoriae dabit, devoret initio taedium illud scripta et lecta saepius revolvendi, et quasi eundem cibum remandendi. Quod ipsum hoc fieri potest levius, si pauca primum, et quae taedium non afferant, coeperimus